

1768. Veritas consistit in hoc. 1. Ut adjuratio fiat per verum Deum, & per res verè sacras; unde si fieret per falsos Deos, &c. esset mortalis. 2. Ut res non petatur fictè, sine animo obtinendi; & tunc esset venialis.

1769. Judicium consistit in hoc. 1. Quod adjuratio fiat prudenter, minimè leviter, & sine occasione; & tunc esset venialis. 2. Quod Deus, & Sancti non adjurentur imperativè, sed deprecativè, nec dæmon deprecativè, sed imperativè, quod esset mortale; nam imperium supra Deum, & Sanctos esset injuria, & contemptus deprecatio erga dæmonem esset amicitia, & submissio.

1770. Justitia consistit in hoc, quod res, quæ petitur, sit honesta; nam si mala, adjuratio esset peccatum mortale, aut veniale, juxta gravitatem, aut levitatem malitiae rei.

1771. Possumus adjurare. 1. Deum per se ipsum, per Christum, per Mariam Virginem, per Sanctos uti sibi charos, & per sacra Mytheria, & Passionem.

1772. Non potest autem adjuratio fieri per creaturas inferiores, nisi sint specialiter Deo charæ; sic Exod. cap. 32. adjuratur Deus: *Recordare Abraham, Isaac, Jacob servorum tuorum.* 2. Possumus adjurare B. Virginem, Sanctos, & Angelos per Deum, & Jesum Christum. 3. Dæmonem, & creaturas, per Deum, & Jesum Christum, B. Virginem, Sanctos, & sacra Mytheria.

1773. Creaturæ rationales adjurari possunt directè; irrationales verò, ut animalia nociva, tempestates, fulgura, &c. non nisi indirectè: quia cum non sint rationis capaces, non possunt per adjurationem directè induci, & moveri ad præstandum, quod petimus; sed in quantum à Deo moventur contra nos in pœnam, vel à dæmone in vindictam, ut noceant, nos eas adjuramus, deprecando in ordine ad Deum, vel imperando in ordine ad dæmonem, ut sic Deus miscereatur, & dæmon à nocendo desistat; & hoc pacto dicuntur creaturæ indirectè adjurari.

1774. Creaturas irracionales (rectè ait Josephus Augustinus) posse etiam improprie adjurari per immediatam efficientiam supernaturalem super ipsas, explicatam per imperium metaphoricè dictum; sicut Christus Dominus imperavit ventis, & mari: hoc autem spectat ad virtutem miraculorum.

1775. Licetum est Exorcistæ tractare cum dæmone, & ea omnia petere, quæ ad suum munus, finem, & expulsiōnem conducunt; puta de causa ingressus, numero spirituum, &c. & petere ab eo signum, quo existit ostendat. Vide à num. 385.

1776. Quælibet verò alium tractatum ob vanitatem, & curiositatem, puta, si petat scire occultum, &c. esse mortale tenet Castrop. Non plus quam veniale, Sanchez, & Cajet. apud Tamb. lib. 3. cap. 8. §. 2. num. 5. At melius dico cum Tamb. cit. esse mortale: si id fiat sæpè, & per longos sermones; quia

tunc ostenditur amicitia, & benevolentia; quando Apost. 1. ad Cor. 10. ait: *Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum: Non potestis Calicem Domini bibere, & Calicem dæmoniorum: Non potestis mensam Domini participare esse, & mensam dæmoniorum.* Veniale verò, si fiat raro, & per breve tempus; quod sequitur ex verbis Pauli, ex quibus graviter familiaritas, & amicitia prohibetur.

1777. Licetum est cogere dæmonem, ut malefium tollat, aut signum, quo durante, durat pactum de vexando creaturam; quia id non est uti ope dæmonis in obsequium nostrum, sed nos defendere, & cogere, ut destruat opera sua.

1778. Eadem ratione licet imperare dæmoni Superiori ad coercendum pariter dæmonem inferiorem; licet namque ob nostram utilitatem expellere clavum clavo, Delbene de Inquisit. part. 1. dub. 228. sect. 28. num. 18.

1779. Non potest licitè Exorcista dæmoni expostenti concedere, aut permittere, ut immitatur in alium hominem; quia non est Dominus vite proximi: bene verò, ut immitatur in equum, si ejus Dominus sit dives, & plures habeat, ut pro reparatione salutis obfessi, amissio equi alterius non censetur valde notabile damnum. Secus, si esset cum valde notabili alterius damno. Tancredi tract. 1. de Relig. disc. de Adjur. num. 67. quia nemo tenetur cum gravi suo damno, alterius salutem corporis succurrere.

Tamb. verò cit. cum Castrop. tenet id licere etiam cum gravi damno boni temporalis alterius; quia putat, talem obfessum esse constitutum in extrema necessitate; in qua omnia sunt communia.

1780. Licet obfessum in dæmonis contemptum expuere, & leviter percutere. Si autem dæmonem te injuriis afficientem ira accensus graviter in obfesso percussis, peccas mortaliter, & si obfessus est Clericus, excommunicationem incurris, nisi inadvertentia, aut ignorantia excuset; quia cum dæmone Clericum suadente diabolo percussis, eique injurias facis, non minus quam excommunicatus es (rectè ait Tamb.) si eam in sinu domini contra te latrantem advertenter cum domino esse confodias.

1781. Qui exorcizat esse debet Sacerdos, aut saltem exorcistatus ordine insignitus, & de Ordinarii licentia.

1782. Si Laicus id faciat publicè, frequenter cum populi admiratione, & Superiore contradicente, peccat mortaliter. Secus, si privatim, aut si publicè, raro sine admiratione, & contradictione, & ex fide, ac fiducia in Deum; maxime si habeat hanc gratiam gratis datam eos expellendi. Tamb. lib. 3. cap. 8. §. 2. num. 24. dummodo non sit idiota, & ignarus, quia exponeretur periculo, ut deciperetur à dæmone, aut aliqua superstitione uteretur.

1783. Nec diceretur usurpator jurisdictionis Clericalis, sicut nec talis dicitur laicus, qui Missæ inservit, lumina accendit, & urceolos cum vino, & aqua Sacerdoti porrigit, quod est Officium Acolythi; nec qui indignos ab Ecclesia expellit, quod est proprium

prium Ostiarii; non alia ratione, nisi quia munera Minorum Ordinum laici non exercent ex Officio, Clerici verò ad illos promoti exercent ex Officio. Hinc Christus Marci 16. generaliter de veris, & bonis Christianis loquens, ait: *Signa autem eos, qui crediderint, hoc sequentur: in nomine meo dæmonia ejicient.* Et Marci 12. *Unicuique autem datur manifestatio spirituum ad utilitatem: alii, &c. alii gratia sanctorum in uno spiritu.*

1784. Ritè autem prohibetur à Superioribus, etiam Sacerdotibus Officium Exorcistæ sine eorum licentia exercere, ne quis ignarus, imperitus, aut prava vita audeat cum periculo superstitionis, deceptionis, & contemptus, peragere munus, ad quod scientia, peritia, mortificatio, & maxime vite rectitudo requiruntur.

De Adjuratione agunt Tanc. Tamb. cit. & Clericalis pag. 45.

## CAPUT III.

## DE VOTO.

## DEFINITIO.

1785. **V**otum est promissio liberata, & voluntaria facta Deo de meliori bono. Propositum est sola voluntas faciendi opus: promissio huic voluntati addit voluntatem se obligandi alteri, & in casu voti se obligandi Deo.

1786. Hinc hæc promissio, si cadat supra materiam præceptam, novam obligationem inducit.

1787. Pœnitens, qui à Confessario monuit, ut à peccato v. gr. fornicationis desistat, dicit: *Promitto, me illud amplius non commissurum: regulariter non emittit votum, sed solum manifestare vult suum firmiter propositum; quia communiter non intendit in casu transgressionis se obligare ad novum peccatum, sed ad idem contra sextum præceptum.*

Quod si velit expressè se obligare in casu transgressionis ad novum peccatum contra præceptum humanum promissionis se emissæ; tunc emittit votum; quia est promissio facta Deo cum animo se obligandi nova obligatione libera; seu novo præcepto humano à se liberè imposito.

Obligatio autem, quam communiter habet quilibet homo ad vitandum peccatum, est obligatio necessaria, quæ supponit præceptum, unde occurrere, non facit præceptum; votum verò facit, imò est præceptum novum; adeoque, qui habens votum castitatis fornicatur, peccat contra duo præcepta, contra præceptum divinum Decalogi de numero sexto, & contra præceptum humanum voti, liberè ab ipso homine sibi impositum, in confessione aperiendum; quia contra duas virtutes, nempe contra castitatem, quam præceptum divinum respicit, & contra Religionem, quam respicit votum.

1788. Qui adstantibus dixit: *Si Deus me servaverit, restituerit, sum Religiosus.* Non fecit votum. Gobat tom. 3. de Voto, num. 15. quia ea fuit sola ani-

mi ostensio facta adstantibus; non promissio obligatoria directè ad Deum. Et sicut similia verba nulli homini directè in humanis negotiis nullam pactum, & nullam obligationem strictam inducunt, ita in religionis.

1789. Dicitur: *Deliberata*, quatenus votens debet plenè advertere, & cognoscere materiam, quam vovet; deliberatio enim importat advertentiam, & cognitionem materiam, cum libero, & expedito interiorum sensuum usu. Hinc si quis existens Panormi, putans D. Jacobum de Compostella distare non plus, quam per centum millaria, voveret ad illum accedere, non teneret votum ex defectu deliberationis circa substantiam voti.

Similiter vota facta cum semiplena advertentia, seu deliberatione, v. gr. ex repetitione animi motu, non valent. Aut si quis voveret semivigilans, vel habens, sensus internos vehementissima passione iræ, &c. perturbatos.

De errore, & ignorantia discurrere, ut de Jramento à num. 1653. Error circa vim voti, v. gr. quod obliget sub veniali, quod obligat sub mortali; & quod possit relaxari, quod relaxari non potest, irritum reddit votum, ex defectu consensu; quia est error circa substantialia. Gobat tom. 1. part. 2. tract. 11. casu 4. num. 109. Vide num. 1822.

Dicitur: *Voluntaria*, hoc est cum libero voluntatis consensu.

1790. Dicitur: *De meliori bono*, in ordine ad suum oppositum. Hinc votum nubendi absolute loquendo non tenet; quia matrimonium non est bonum melius castitate sibi opposita. Dixi absolute; quia id, quod absolute est minus bonum suo opposito, ex circumstantiis hinc, & nunc potest esse majus bonum, ut in num. 1816.

Hinc Votum ducendi pauperem, vel meretricem causa pietatis emissum est invalidum, Ant. à Spir. S. tom. 1. disp. 2. sect. 13. quia est impedimentum castitatis, quæ est bonum melius, & Deo gratius recentito titulo misericordiae.

Validum autem est emissum hac cum conditione: *Voveo, casu, quo velim nubere, ducere pauperem*; quia per hoc votum non obligatur quis ad matrimonium, sed quod eo liberè assumpto, sit electurus matrimonio Deo gratius, quale est pauperis.

Dicitur: *facta Deo*, ut in num. 2017.

## DIVISIO VOTI.

1791. **D**ividitur in solemne, & est illud, quod acceptatur ab Ecclesia; ut votum castitatis Sacris ordinibus annexum, & professionis Religiosæ. Et simplex, quod talem solemnitatem non habet, sed emittitur privata auctoritate.

Subdividitur in absolutum, quod fit ex amore ad materiam, quam vovet; ut si voveas castitatem ex amore castitatis. Conditionale, quod fit sub conditione, ex affectu scilicet ad habendam, vel non habendam conditionem; v. gr. voveo castitatem, si Deus me liberet

ab hac tempestate. Et Pœnale, quod sit in pœnam: ut voveo jejunium, si lusero.

Item in reale, in quo promittitur res externa: ut elemosyna. Personale in quo actio persone, vel ejus omisio: ut peregrinatio, vel omisio ludi. Et mixtum, in quo utraque: ut peregrinatio cum elemosyna.

#### CONDITIO

1792. **I**N Votis apponi solita, si sit de præterito, aut de præsentis, non reddit votum conditionale, sed absolutum; quia non suspendit obligationem. Ita, si sit futura necessaria: Ut voveo elemosynam, si cras sol orietur; quia hæc habetur pro impleta. Unde debet esse de re contingenti, ut votum sit conditionale.

Conditio impossibilis reddit votum nullum, cum non possit poni in esse. Solum in matrimonio, & ultimis voluntatibus habetur pro non adjecta, & non reddit actum nullum; quia pro his ita jus disposuit, non sic in Votis.

Votum sub conditione turpi, si conditio habeat rationem finis voti, quatenus ex voto obtineri intenditur, ut votum dandi certam elemosynam pauperi, si hereditas injusta obtineatur, est nullum. Vide à num. 1802. Validum verò, si non se habeat ut finis, sed ut pura conditio, ut Voveo ingredi Religionem, si meus pater bona sua dissipabit. In primo enim casu conditio se habet ut finis; in secundo, ut causa impulsiva, & occasio. Vide num. 1805.

1793. Votum conditionale non obligat, nisi conditione adimpleta, quæ non sufficit ut adimpleatur in æquivalenti, ut in contractibus, sed adimpleri debet in forma specifica; quia interpretatio voti est strictè faciendâ, ut minus obliget.

1794. Vovisti Religionem, si tua foror nuberet: mortua est tua foror; teneris ad votum; si tua intentio fuit de non deserendo eam destitutam; quia tunc materialiter se habent ad tuam intentionem nuptiæ. Non teneris, si præcisè nuptias ob aliquod speciale motivum intendisti. Mendo in Epit. verb. Votum, num. 55.

1795. Vovisti certam elemosynam dare, si eo anno heres Judex Prætorii, factus autem es Judex Magnæ Curie; teneris ad votum, si intendisti gradum Judicis Prætorii tanquam viam, & dispositionem ad gradum Judicis Magnæ Curie. Secus, si tua intentio fuit absolutè, & præcisè ad illum intentam, vel ob aliquod speciale motivum; vel quia alium gradum ob tui insufficientiam, vel aliorum emulationem non sperabas.

Idem die de Voto dandi certam elemosynam Ecclesiæ, si frater Parochus Ecclesiæ N. & sis factus Parochus pinguioris Ecclesiæ. Ant. à Spir. S. tom. 1. tract. 5. disp. 2. sect. 26. num. 374. In dubio de intentione, sive positivo, sive negativo, non obligaris; quia standum est pro libertate.

1796. Impediens conditionem Voti non peccat, si conditio pendeat à propria voluntate; quia

non se obligavit ad conditionem, sed ad votum, conditione liberè apposta. Si conditio pendeat à voluntate alterius, & sit mala; ut Voveo Religionem, si pater meus bona sua in ludis, & cum meretricibus dissipabit: potest impedire; quia mala sunt impedienda: ac conditione adimpleta, tenetur ad votum, ut supra dictum est num. 1793.

Si conditio pendeat à voluntate alterius, & non sit mala, seu prohibita, non potes sine peccato impedire; quia tunc remisisti obligationem voti in alterius voluntatem; unde in eo voto adest pactum virtuale, & implicitum de conditione non impedienda. Et tunc peccas impediendo conditionem; at non obligaris voto, quousque conditio apponatur; peccas autem impediendo vi, aut fraude. At non peccas, si precibus, & rationibus utaris, ut ille conditionem non apponat; quia liberum illum relinquis.

Si quis voveat Religionem ingredi, si pater intra annum consentiat: & ipse votum non manifestat; elapso anno, quamvis pater consentiat, non tenetur ingredi Religionem. Et idem est, si vi, aut dolo impediatur, ne pater consentiat; quia revera conditio non fuit impleta. Ant. à Spir. S. cit.

#### IN VOTO PœNALI,

1797. **V**ER. gr. Voveo jejunium, si lusero, si non recitavero Divinam Officiam; quoties transgressus in conditione caret culpa, puta per inadvertentiam, infirmitatem, &c. caret pœna; quia pœna est imposita ob culpam transgressionis in conditione, nempe ob ludum, ob omissionem Officii Divini. Imò, si recordaris conditionis, & non recordaris pœnæ, culpabiliter, inquam, omittis officium, at si non recordaris pœnæ jejunii, non teneris ad pœnam; quia oblivio naturalis æquivalet ignorantia invincibili pœnæ, quæ excusat à pœna.

Eadem ratione, si scias, te votum emisisse, at nescis, si sub pœna aliqua, peccas quidem contra votum, sed non teneris ad pœnam.

Item, quoties conditio cadit, quatenus est inepta, indifferens, impossibilis, &c. cadit pœna; quia pœna est accessoria conditioni positiva, aut negativa, videlicet actui, aut omissioni, quæ vitari intenditur, & ad quam vitandam fit votum pœna.

1798. Quod est verum, etiam in voto pœnali duplici, ubi scilicet, tam pœna, quam ipsa conditio est materia voti; v. g. Voveo non ludere, & si lusero, voveo jejunium: Tunc, si cadat votum de non ludendo per dispensationem, aut ob aliam causam, cadit votum de jejunando.

Ex quo habes, quod in voto pœnali conditio voti, quæ vitari intenditur, est finis principalis voti pœnæ, & hæc est illi accessoria.

Si pœna apponatur sine determinatione quoad vices:

#### HÆC SIT REGULA:

1799. **S**I pœna est ex ordinariis, & moderatis, quæ iterari solent; intelligitur incurri toties quoties. Si verò est ex gravissimis, quæ iterari non solent, ut est peregrinatio, ingressus Religionis, &c. tunc in prima transgressione incurritur pœna, minimè in sequentibus. Quod est verum, si voveo jejunium de sola pœna, v. gr. in casu ludi: Ut Voveo jejunium, peregrinationem, si lusero; sive sit de ludo vitando sub pœna: ut Voveo vitare ludum sub pœna jejunii, peregrinationis, &c. Castrop. tom. 3. tr. 15. disp. 1. punct. 18. pag. 141. Tamb. tom. 1. lib. 3. cap. 12. §. 7. Ant. à Spir. S. tom. 1. tract. 5. disp. 2. sect. 27. Quia interpretatio tunc est faciendâ ex communi hominum more, & verisimili intentione voventis; homines enim non solent pœnas gravissimas, & extraordinarias sibi toties quoties sunt in culpa, imponere, bene verò ordinarias, & moderatas.

Tum, quia timor singularis gravissimæ, & extraordinariæ pœnæ potest hominem à ludo perpetuo continere, licet post ejus incurtionem cesserit; adeoque potest sub una tali pœna perpetua ludi vitatio promitti.

Ex quibus rationibus, non improbabile putant citati Doctores, votum de pœna, si sit in casu ludi, sive de ludo vitando, sive sit ex gravissimis, sive ex ordinariis, intelligi de prima vice: Pro hac sententia adducunt, Sæ, Dianam, Trullench, & Layman, & exemplum de voto jejuandi in Vigilia alicujus Sancti, quod intelligitur de prima Vigilia, nisi aliud exprimat.

#### METUS IN VOTIS.

1800. **Q**UI voverit motus timore periculi à causa naturali provenientis, ut ex tempestate, morbo, &c. vovere dicitur ob metum intrinsecè incussum. Qui verò movetur timore periculi à causa libera provenientis, v. gr. à latrone, &c. vovere dicitur ob metum ab extrinsecò incussum.

1801. Vota omnia, etiam solemnia, facta ex metu non incusso ad finem ea extorquendi, sunt valida, etiam si metus sit gravis, injustus, & ab extrinsecò incussum; quia tunc vovens à nemine impellitur, sed sponte illud eligit tanquam remedium mali imminenti. Similiter est validum, quando eligitur tanquam conditio oblata ad malum vitandum: imò est validum, etiam si metus gravis sit juxtè incussum ad illud extorquendum; quia tunc sine injuria votum proponitur sub conditione, non sub coactione; ut nempe voveas, si malum, cui liberè causam dedisti, effugere velis. Si autem sit ex metu gravi injustè incusso ad finem illud extorquendi, est invalidum jure Ecclesiastico, & naturæ, nisi sit juramento firmatum; quia Deus illud non acceptat, ne det vim injustæ coactioni, adeoque ut non servetur, non indiget relaxatione. Exempla habes de metu in matrimonio. Vide à num. 1645.

#### MATERIA,

1802. **U**T votum sit validum, debet esse possibile, nec mala, vana, inutilis, aut indifferens: ut si quia cecidisti ex equo, voveas amplius non equitaturum; quia passus es in mari, non amplius navigaturum, quia displicet Deo stulta promissio: imò peccatur venialiter, nisi sit de re mala mortaliter: nec convalescit, si mutatis circumstantiis fiat bona, nam ex Reg. Juris 18. in 6. non firmatur tractu temporis, quod initio non subsistit.

1803. Si res sit bona, conjuncta tamen cum causa mala, & tu illam voveas ut bonam, tenet votum; ut si voveas elemosynam, si non capiaris in furto, si obtineas prolem ex adulterio, quod patras; quia tunc finis voti est salus, proles, &c. quæ in se sunt bona, & dona Dei: adulterium vero non est finis, aut effectus à voto intentus, sed concomitanter se habet. Quòd si res mala sit finis, aut effectus à voto intentus, utique invalidum est votum.

1804. Votum, si ei adiungatur finis, aut circumstantia mala, se tenens ex parte materiæ voti, v. gr. si voveas elemosynam ad obtinendam vanam gloriam, est invalidum. Validum est, si se teneat ex parte voventis; ut si ex vana gloria voveas elemosynam, licet vovendo pecces; quia in primo casu votum, quod est actus Religionis, & cultus Dei, ordinatur tanquam medium ad vanam gloriam, quod est mala, & inde Deo ingrata; in secundo casu, vana gloria se habet concomitanter, & ut causa impulsiva, non ut finis.

1805. Causa impulsiva, seu occasio voti dicitur, illa, quæ existit, aut putatur existere, quando fit votum, & hominem ad vovendum excitat: finis verò voti est ille, qui à vovente intenditur obtineri, & hic, occasione deficiente, adhuc persistit.

Sic exemplum de infirmo, qui occasione desumpta ex infirmitate, vovit recitare quolibet Sabato Rosarium Virginis, vel ob Virginis cultum, qui est finis intrinsecus; vel ut saluti restitatur, & in ea conservetur, qui est finis extrinsecus. Infirmitas est causa impulsiva; cultus, aut salus est finis.

1806. Finis intrinsecus est ille, qui essentialiter est actui annexus, ut cultus in oratione, & recitatione Rosarii. Finis extrinsecus est ille, qui est separabilis ab actu, & solum est ejus finis, quatenus est ab operante intentus: Sic est salus in voto de recitatione Rosarii.

1807. Votum muliercularum Panormi fieri solitum de commemorando toto die Festo alicujus Sancti in ejus Ecclesiâ, & non comedendo, nisi quod ab aliis eis sponte defertur, est nullum, uti de materia inepta; quia est experientia contemptum, ut nulla ex his careat cognatis, qui cibos assilenter deferant, & sic in Ecclesiâ tanquam in taberna bibunt, & comedunt; quod non cedit in cultum, sed in maximam Dei, & Sancti irreverentiam. Validum tamen erit votum, si postquam Sanctum inviserint, domum

mum repetant, ibique uti eis placet, jejunent.

1808. Votum mulierculæ non nendi, seu filandæ die Sabbati ob Virginis devotionem, non tenet, si habeat animum alia opera ferialia patrândi. *Leander de Voto, tract. 2. disp. 4. quest. 11. Quia non cedit in cultum ab eo abstinere, cum liberum sit et aliis operibus servilibus mentem magis à divinis avocantibus vacare.*

1809. Votum agtandi tauros, aut prophanas comicorum repræsentationes in honorem alicujus Sancti exhibendi, non tenet. *Mendo num. 63.* quia minimè Sanctorum cultum, sed immodestias, & indecora retinet.

1810. Votum omisionis rei bonæ tenet, si omisio disponat ad majus bonum, ut votum non nubendi. At non tenet, si omisio sit operis præcepti, aut consilii; quia esset rei malæ, aut indifferens, ait *Mendo num. 66.*

1811. Quis post votum non fornicandi, videns se, in quadam occasione mulieris, tentationibus agitatam, ut tunc liberaretur à fræno voti quoad fornicandum, illud ipsemet commutavit in melius, videlicet in votum Religionis. An validè?

Respondet: Invalidè. *Mendo verb. Votum, num. 79.* cum Sanchez, & Suario; quia in his circumstantiis commutatio non est in melius; nam primum votum habet pro sine vitare, & non patrare peccatum, quod est bonum melius, quàm fieri Religiosum; Imò talis commutatio in votum Religionis opponitur illi fini, & commutans intendit tollere tunc frænum peccati, qui est finis malus, qui vitat naturam voti Religionis, ex se meliorem; unde in illis circumstantiis invalidum est votum Religionis, & obligat primum votum.

1812. Quidam sartor vovit, se servaturum castitatem in sua tamen patria, & arte; postea venit in notitiam, ibi conditam esse legem Principis, ut nullus artem ibi exerceat cælebs, nisi alicui Magistro famulando: An possit nubere?

Posse ait *Gobat tom. 1. part. 2. tract. 11. casu 2. num. 80. de Voto* quia conditio, dependenter à qua vovit, est reddita impossibilis; promissio namque dependens ab alieno arbitrio censetur de re impossibili, quando alter consentire non vult. Ita ille.

1813. Votum Religionis non obligat, quoties ex aliqua causa professio emitti non potest sine peccato; quia votum non est vinculum iniquitatis.

1814. Votum de non assumendo Sacerdotium ex humilitate emissum, est validum. *Gobat tom. 1. part. 2. tract. 11. casu 13. num. 425. de Voto.*

1815. Votum de bono impeditivum majoris boni est invalidum, & veniale: esse impeditivum majoris boni, non est esse impeditivum boni majoris cuiuscumque, & boni absolute considerati; sic enim nulla ferè vota valerent, cum semper sit invenire majus bonum, quàm sit ipsum votum factum; sed est esse impeditivum majoris boni, quod vovens habeat tunc, quando vovet. Hinc validum est votum Reli-

gionis laxioris à sæculari factam, invalidum verò est, si fiat à Religioso Religionis observans.

1816. Si quod esset per se minus bonum, sit per accidens majus bonum, tenet votum; unde, licet regulariter votum de nubendo non teneat, quia est impeditivum cælibatus, qui per se est majus bonum; tenet tamen: 1. si te videas pronum ad lapsum, & continentiam tibi moraliter impossibilem; quia tunc (ait Paulus) *melius est nubere, quam uri.* 2. si non vales sine gravi periculo, aut infamia relinquere sponfam, vel liberos ex ea conceptos. 3. si inde speretur magnum bonum Reipublicæ, puta pacis, &c. *Tamb. de Voto, cap. 15. §. 3. num. 4.*

1817. Votum abstinentiæ ab hoc opere servili, non furandi à Petro, non fornicandi cum tali muliere, est validum. *Ant. à Spir. S. tom. 1. tract. 5. p. 3. disp. 2. sect. 9. num. 249.* cum Sanchez contra Tancr. quia abstinentia ab his actibus, licet sit circa rem individuum, est præcepta, adeoque bona.

1818. Idem dico de voto, amore continentie emissio, non fornicandi, nisi cum tali muliere, quia hoc est votum non fornicandi cum aliis: Et particula exclusiva nisi non includit votum fornicandi cum tali, quod esset malum, sed solum facit, quod votum non se extendat ad talem individuum mulierem, quod non importat malitiam; cum votum sit liberum, & dependeat ex institutione voventis.

Dixi: *amore continentia emissio*; quia si cavittur amore mulieris, quam à voto excludit; votum est invalidum, & peccaminosum, uti de re mala, quantum esset emissum ad magis firmandum amorem, seu concubinatum cum muliere illa.

#### OBLIGATIO VOTI

1819. **P**endet ex quantitate materie, & qualitate intentionis; in materia gravi, v. gr. in recitando Officium Virginis, potes te obligare leviter, sicut per multos potest Confessarius imponere penitentiam gravem pro peccatis gravibus, obligando penitentem solum sub veniali. Ita à fortiori vovens; quia sicut in ejus libertate fuit obligatio quoad substantiam, ita & quoad modum. Potest igitur in materia gravi se obligare leviter, si id expressè intendat, alioquin censetur se obligasse graviter, quia presumpcio fit ex regulariter contingentibus. *Vide num. 1852.*

1820. In materia levi non potest cadere obligatio sub mortali, nec ratione voti, nec ratione præcepti; quia ejus impositio est irrationabilis, nam materia levis est incapax obligationis gravis. *Diana part. 5. tract. 5. ref. 50.*

1821. Potest tamen materia in se parva esse magna ratione alicujus circumstantiæ, aut finis magni, & sic esse capax obligationis gravis: unde, si voveas recitare quolibet die unum: *Ave Maria* in Virginis devotionem, est materia parva, & omitto, non nisi venialiter peccas; quia ejus omisio est modicus devotionis defectus, sicut omisio unius Psalmi in Of-

fi-

ficio, quod pariter in laudem Dei recitatur. At si voveas illam orationem pro gravi tentatione sedanda, pro qua eam es expertus in medicinam, tunc potes ad eam te graviter obligare, quia est materia gravis, ita ut, urgente gravi tentatione, & periculo cadendi, mortaliter pecces, si omittas. *Vide tom. 2. num. 12.*

1822. Votum ex errore emissum, non obligat, si error fuerit circa substantiam, aut conditionem substantialem rei promissæ, vel circa finem, seu motivum vovendi. Hinc qui vovit dare calicem, quem putabat argenteum, non tenetur dare, si comperiat esse aureum: & votum celebrandi Missam pro salute infirmi non obligat, si sit mortuus, aut sanus. *Vide num. 1789.*

1823. Votum negativum, v. gr. non bibendi vinum die veneris, obligat ad tot peccata, quot vicibus frangitur; non sic votum positivum, v. gr. jejunandi die veneris: unde toties peccas, quoties eo die vinum bibis, non tamen quoties comedis, uti de præcepto affirmativo, & negativo, cui votum æquivalet, discurrimus.

1824. Unde si vovisti jejunare in pane, & aqua, solum peccas prima vice bibendo vinum.

1825. At, si vovisti hac die jejunare; si comidisti carnes, solum te peccasse prima vice tenet *Ant. à Spir. S. tom. 1. tract. 5. disp. 2. sect. 25. num. 362.* cum Tamb. & pluribus.

Peccare verò toties quoties carnes comedis, dico cum Castrop. & Suarez. Disparitas est; quia primum votum non est negativum de abstinentia à vino, sed affirmativum de jejunio sub modificatione panis, & aquæ, quale jejunium per primum vini potum fit impossibile: secundum est de jejunio absolute; & quia jejunium includit pro altera parte essentiali præceptum negativum de abstinentia à carnibus, quod per primam transgressionem non fit impossibile, ideo peccas, quoties comedis.

Imò in mea sententia: quod dispensatus ad carnes, ex quo cibi quadragesimales nocent, non sit dispensatus ab unica comestione; iste, qui peccavit prima vice comedendo carnes, tenetur servare sub mortali formam jejunii quoad unicam comestionem; quia jejunium non importat unicam comestionem, ut accessorium, sed æquè primò unicam comestionem, & abstinentiam à carnibus.

1826. Alieno voto nemo obligatur, nisi ratificaverit: unde parentes, qui filium Religioni voverunt, tenentur solum illum verè, & non fictè persuadere.

1827. Vota realia impleri debent de proprio. Si non habes, non teneris mendicare. Si verò alius, five rogatus, five sponte velit solvere, quamvis tu possis ex tuo, valet. Vota tamen personalia non adimplentur, nisi per voventem: unde, si non potes, non teneris per alium, res namque, non actio alterius potest fieri tua.

1828. Votum mixtum ex parte, qua est perfo-

nale, non potest per alium adimpleri; bene verò ex parte, qua est reale.

1829. Qui non potest quoad partem personalem, aut quoad realem adimplere, non tenetur commutationem facere in aliud, quod potest. Imò, si ambae partes non sint æquè intenta, sed una accessoria; qui non potest principalem, non tenetur ad accessoriam. *Vide num. 1834.*

1830. Votum nunquam peccandi mortaliter, tenet; quia est de re moraliter possibili: sed non est consulendum ob facili violationis periculum.

1831. Votum nunquam peccandi venialiter est invalidum, quia est de re moraliter impossibili: aliique volunt, quod obligat ad vitanda mortalia, & venialia graviora. Votum de certò veniali, v. gr. nunquam mentiendi, tenet. Non sic votum vitandi omne verbum otiosum, aut omnem distractionem in oratione, quia spectata hominum imbecillitate, est moraliter impossibile.

1832. Si concurrant duo vota incompossibilia, impleri debet, quod est melius: si sunt æqualia, quod est prius: si non recorderis, libera est electio. Ratio primi, quia votum est de meliori bono. Ratio secundi, quia prior tempore, est potior in jure: sit exemplum: Petrus vovit jejunare in pane, & aqua qualibet sexta feria, item vovit in Vigilia D. Rosaliæ accedere ad montem ad inviandum Sanctam, hoc autem anno Vigilia D. Rosaliæ contingit feria sexta, & hæc duo sunt ei incompossibilia, in hoc casu adimplere debet votum jejunii, quia est de meliori bono; nam est utilius animæ, utpotè magis macerativum corporis; hinc ad redimenda peccata sæpè Sac. Scriptura consulit jejunium, & elemosynam. Tùm quia iter sex, aut octo milliarius non excusat à jejunio.

1833. Si materia, quæ ab initio fuit possibilis, & apta, evadat impossibilis, aut inæpta in perpetuum, extinguitur votum; si ad tempus, suspenditur pro illo tempore. Si evadat impossibilis quoad partem; tunc, si non potest commodè dividi, ut est edificatio Templi, non teneris ad partem, si potest commodè dividi, teneris ad partem, quam potes; unde, si non potes jejunare totum novenarium, quod vovisti, potes aliquibus diebus, teneris ad illos. *Vide num. 454. & à num. 1841.*

1834. Si materia potest dividi, sed una pars sit principalis, alia accessoria, cessante obligatione principalis, cessat obligatio accessoria; quia ex Reg. Juris Canon. *accessorium naturam sequi congruit principalis*: hinc si vovisti peregrinationem Romam in cælicio, & ibi aliquid offerre; si peregrinatio evadat impossibilis, non teneris ferre cælicium, nec oblationem mittere, non enim sunt intenta per se seorsim, sed dependenter à principali, ut ejus modi. *Vide num. 1829.*

1835. Votum disjunctivum, cujus una pars est materia apta, altera inæpta, ut votum de recitando Rosarium, aut de danda elemosyna de furto, est in-

in-

invalidum; quia in voto disjunctivo obligatio cadit aequè primò supra utramque materiam, cum libertate eligendi utramlibet; adeoque, cum altera sit inepta, nullum est votum.

1836. Si vovisti dare Ecclesiam bovem, aut equum; ad nihil teneris, si tempore voti, aut antea equus perierit, quia tempore voti altera pars erat impossibilis. Si verò perierit post votum emissum, teneris ad superfluum; quia cum obligatio cadat supra utramque partem, & votum in principio fuit validum, teneris ad alteram. Potes tamen dare pretium partis, quæ periit, si non sit facta electio; quia libera est tibi electio. Si autem equus periit absque tua culpa post factam electionem ejus, non teneris dare rem superfluum, nec pretium rei destructæ; quia facta electione, tenearis solum ad rem electam, & cum illa perierit sine tua culpa, ad nihil teneris; quia res est facta impossibilis.

1837. Similiter, si post votum disjunctivum Religionis, aut Castitatis, ingressus es Religionem, & ab ea ejectionis fuisti, non teneris ad castitatem; quia altera pars est reddita impossibilis post ejus electionem: Gobat de Voto, tom. 1. tract. 11. p. 2. casu 2. num. 79.

1838. Eadem ratione hæres tenetur satisfacere votum reale defuncti, qui votum disjunctivum emiserat, cujus una pars erat personalis, & altera realis, si ille, dum vivebat partem personalem non elegerat. Ant. à Spir. 5. tom. 1. tract. 5. disp. 2. sect. 11. Castrop. disp. 1. de Voto, punct. 13. num. 28.

1839. Obligatio voti realis transit ad hæredes, si illi bona hereditatis receperint. Insuper (salva legitima hæredis, quæ non potest à testatore gravari debito voluntario, quale est votum, aut legatum pium) nec hæres tenetur illud solvere, nisi juxta sufficientiam hereditatis. Vide num. 2053.

1840. Item Monasterium, si constituitur hæres voventis, ob ejus mortem, tenetur illius vota realia adimplere; minime, si constituitur hæres ob professionem Religiosam ab eo emissam; quia per professionem Religiosam extinguuntur omnia vota, tam personalia, quam realia: Vota autem tempore hereditatis extincta non tenetur solvere hæres. Si autem vota fuerint à tertio acceptata, probabilis est, quod teneatur Monasterium solvere. Com. contra Castrop. de Voto, disp. 1. punct. 16. num. 7.

1841. Si vovisti aliquid faciendum determinato tempore; tunc, si votum fuit factum cum intuitu ad tempus; ut si vovisti jejunare feriis sextis, audire Sacrum Sabbatis; eo transacto cum, aut sine culpa, cessat obligatio; quia est præfixus terminus. Nec prævenire teneris, si impedimentum prævidisti; quia id te non obligasti, nec solet esse hæc intentio voventis.

1842. Si votum non fuit factum cum intuitu ad tempus, sed votum designatum fuit ut terminus; ut si vovisti Religionem ingredi intra annum; tunc obligatio non cessat; quia tunc non est determinatum tempus ad finicandam obligationem, sed ad præ-

scribendum terminum, ultra quem non differatur; unde etiam post illud debes implere. Mendo in Epit. verb. Votum, num. 60.

1843. In dilatione datur parvitas materia. Imò publica necessitas, aut utilitas permittit dilationem in voto quantumvis gravi, aut reservato. Gobat tom. 1. part. 2. tract. 11. de Voto, casu 3. num. 87.

1844. Item satisfactis, anticipando, si votum non fuit emissum intuitu, seu ex devotione talis præfixi temporis, v. gr. feriæ sextæ.

1845. Si non determinasti tempus, teneris implere, cum primum commode potes.

1846. Ly cum primum intelligitur non physice, sed moraliter, hoc est data temporis opportunitate, & occasione, juxta prudentis arbitrium.

Quantum ad peccatum mortale. Cajet. Nav. & alii apud Ant. à Spir. S. tom. 1. tract. 5. disp. 2. sect. 18. num. 320. absolute tenent, executionem talium votorum, quibus non est votum præfixum, posse differri, quamdiu vovens voluerit, dummodo non sit periculum oblivionis, vel non adimpletionis. Castrop. docet, dilationem sex mensium post datam opportunitatem esse notabilem, & inde mortalem. Ledesma in Voto Religionis, dilationem duorum, vel trium annorum, putat, non esse mortalem, si non sit periculum oblivionis, aut non implementationis.

Sed rectius Tamb. lib. 3. cap. 11. §. 3. num. 10. docet in voto Religionis esse considerandum ætatem; nam si vovens sit sexdecim annorum, utique dilatio trium annorum non erit notabilis; secus, si quadraginta annorum. Vide num. 1852.

1847. Si determinasti tempus, v. gr. dandi elemosinam mense Augusti cum intuitu temporis, si ante illud tempus prævidas impedimentum, non teneris prævenire; quia obligatio est affixa temporis. At si incepto tempore illo, v. gr. mense Augusti prævidas impedimentum pro fine mensis, teneris prævenire; quia jam es intra tempus obligationis, sicut die Festo, qui prævidet impedimentum auditionis sacri, tenetur manè prævenire.

1848. Si vovisti rem determinatam, v. gr. hunc calicem, si pereat, non teneris ad alium; quia fuit præfixa individua materia. Si vendidisti, teneris ad pretium, quia eadem materia virtualiter manet.

1849. Si non determinasti quantitatem, satisfactis, dando quantum velis, dummodo non sit tam parum, ut videaris irridere votum; quia nemo præsumitur se obligare, nisi ad id, quod est decens, & commode potest.

1850. Si pluries votum de eadem re renoves, si frangas, unum peccatum committis; quia non est votum distinctum, sed confirmatio voti. Vide num.

1851. In votis constituentibus statum Religio-

sum, & in votis, seu præceptis annexis Ordini Sacro non potes te obligare leviter, sed tibi liberum est, eum statum eligere, quo electo, sub gravi ad illa

illa teneris; quia qualitas obligationis ibi est ab Ecclesia præscripta.

1852. Votum licet habeat rationem præcepti humani, in quantum est onus libere impositum ab homine; obligatio tamen illud adimplendi est de Jure Naturali, & Divino. Fagnanus in lib. 3. pag. 486. de Jure Naturali; nam ratio naturalis dicitur, fidem promissam hominibus esse servandam; ita potiori jure Deo illius Supremo Domino. Item de Jure Divino. Deuter. 23. Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere; quia requirit illud Dominus Deus tuus: & si moratus fueris, reputabit tibi in peccatum. Psalm. 75. Vovete, & reddite Domino Deo vestro. Et Eccles. 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis, & stultus promissio: sed quodcumque voveris reddere. Multoque melius est non vovere, quam post votum, promissa non reddere.

1853. Ut votum valeat, requiritur ætas sufficiens ad mortale, nempe usus rationis, exceptis votis solemnibus Religionis, quæ sunt invalida ante annum 16. expletum, ex præscripto Trident. sess. 25. cap. 15. tam pro viris, quam pro mulieribus.

1854. Vota impuberis, & Religiosorum facta, non requiritu consensu positivo patris, aut Prælati, sunt valida, si non sint præjudicialia patri, aut Prælato, vel Religioni; secus, si sint præjudicialia.

1855. Castitas est virtus prohibens omnem delectationem voluntariam venereum, tam internam, quam externam; ita & votum castitatis. Imò voto castitatis ligatus, etiam si sine sua delectatione alium ad pollutionem suis tactibus impellat, aut solum impudicè tangat, tenetur circumstantiam sui voti explicare; quia contra suam castitatem peccat; nam castitas omnem actum venereum, & luxuria prohibet.

1856. Voto ingrediendi Religionem non satisfactis si ingrediaris animo egrediendi; quia est collusio. Bene verò, si vero animo permanendi ingrediaris, postea tamen ante professionem egrediaris, quia tibi Religio non placet. Si vovisti ingressum, & professionem, probabile est cum Diana part. 2. tract. 17. ref. 10. Castropal. tom. 3. tract. 16. disp. 1. punct. 4. à num. 7. & aliis, te posse licite egredi, si expertus sis Religionem propter asperitatem non esse tibi accommodam; quia tale votum intelligi debet juxta formam juris communis. Trident. sess. 25. cap. 15. quod annum probationis sub nullitate professionis requirit pro experimento, ut si Religio non placeat tibi liberum egredi, quæ conditio est virtualiter inclusa in voto; ita ut cap. 16. Trident. suspendat omnes renunciations inera dictum tempus factas.

1857. De voto Castitatis, & Religionis quoad actum conjugalem, vide in Matrimonio.

1858. Qui vovit Religionem, non tenetur omnes adire, si ab una, aut altera respuatur, sed aliquot, puta tres, aut quatuor. Tancr. de Juram. pag. 561. num. 19. Busemb. Et tunc, si respuatur, est li-

ber à voto; quia implicite conditionem includit: si Abbas recipere voluerit, Idem dicit, si in unam ingressus, ejiciatur.

1859. Qui vovit ingressum in determinatam Religionem, si ab illa non admittatur, non tenetur ad aliam.

1860. Qui post Religionis votum, cognoscit se impedimentum habere, ob quod non sit admittendus, vel admissus sit expellendus, non ligatur voto.

1861. Non emisit votum Religionis, nec tenetur eam ingredi. 1. Qui emisit votum volendi Religionis ingressum; sed satisfactis eliciendo semel actum bonæ voluntatis. 2. Nec qui emisit votum volendi in sæculo vivere, sed ei satisfactis negativè se habendo, non eliciendo scilicet actum volendi in sæculo vivere, nec contrarium; unde ambo possunt matrimonium contrahere.

1862. Qui vovet, se moriturum in Religione, seu extra Monasterium non moriturum, votum ingrediendi Religionem, & in ea perseverandi promittit; quia non potest quis in Religione mori, nisi eam ingrediatur, & in ea perseveret. Ita Leand. de Voto, tract. 1. disp. 21. quest. 6. 7. 8.

1863. Qui fecit votum promittendi, aut vovendi castitatem, non fecit votum castitatis; unde potest commutari, aut dispensari.

1864. Qui fecit votum peregrinationis Romam nudis pedibus, si non possit nudis pedibus implere, tenetur accedere modo, quo potest; quia non pendet ab eo modo substantia voti; & qui non potest accessorium, tenetur ad principale; qui verò non potest principale, non tenetur ad accessorium. Hinc, qui vovit ire pedester, tenetur ire equester, nisi eam circumstantiam, ut principalem vovisset, puta ob subeundum eum laborem, vel ob vitandas expensas equi. Mendo num. 63.

#### RELIGIOSUS CREATUS EPISCOPUS,

1865. **A**UT Cardinalis, quoad habitum tenetur uti colore sui Ordinis, licet uti possit figura Episcopali. Est autem à die confirmationis electionis facta à Pontifice liber ab aliis votis præter tria essentialia, & à præceptis Regulari, ita ut non teneatur amplius ad jejunia, usum laneorum, & reliquas observationes præscriptas in Regula. Port. verb. Episcop. num. 13. Rodr. verb. Episc. cap. 18. Thomàs Delbene de Inquis. part. 2. dub. 236. sect. 67. Busemb.

Probo ex cap. Statutum. 18. quest. 1. per illa verba: Statutum est, ut Monachus, quem electio Canonica à jure Regula, & professionis Monachalis absolvit, & Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, vel us legitimus hæres paternam sibi hereditatem possit, jure vendicandi potestatem habeat. Idque ratione dignitatis Episcopalis.

1866. Idem dicunt de Episcopis titularibus, & addunt, quod si Episcopus Episcopatum resignet, aut

ob culpam deponatur, dummodo non degradetur, non tenetur ad Regularem observantiam redire; quia retinent eminentiam Episcopalem. Secus, de Religio Cardinali, qui, si non est Episcopus, & renunciat, tenetur ad regularem observantiam, & obedientiam redire.

1867. Non est autem liber à tribus votis essentialibus; quia non definit esse Religiosus, sed solum est exemptus quoad aliquos effectus paupertatis, & obedientiae juxta decentiam status. At non dispensatur obedientia, sed mutatur in obedientiam Papae: Nec paupertas; quia non acquirit dominium bonorum Ecclesiae, sed administrationem, liberam tamen quoad fua sustentationem, & causas pias. *Est enim* (ait D. Bonav. in 4. Sent. dist. 38. §. Ad illud, num. 47.) *divitarum non Dominus, sed dispensator, & similiter in voto obedientia non est dispensatus, quia omnem obedientiam, quam debet prius suo Superiori debet Papa.*

## RELIGIOSUS MINIMUS

1868. **C**reatus Episcopus tenetur ad vitam quadragesimalem. *Peyr. tom. 5. Priv. cap. 14. num. 3. Montoya: Credo, & Vazquez contra Pelliz. Fagund. Diana part. 3. tract. 2. ref. 50. Bord. ref. 115. num. 29.* quia est votum illis essentialiter compositibile; patet ex verbis professionis: *Voveo stare, & perdurare toto tempore vite meae sub vita, & Regula Fratrum Ordinis Minimatorum perseveranter vivendo sub votis paupertatis, castitatis, ac obedientiae, & quadragesimalis vite.* Hinc *Peyr. cit. num. 2.* refert, Supremam Inquis. Hispan. prohibuisse quoddam Lacerda, donec corrigantur, in quantum dixit: *votum vite quadragesimalis non esse essentialiter in Ordine Minimatorum.* Debemus igitur eodem modo discurre de hoc quato voto pro Minimis assumptis, quod discurremus de aliis tribus pro aliis Religiosis.

1869. Tùm quia (ut refert *Peyr. cit. num. 3.*) tres Summi Pontif. *Paulus V. Greg. V. & Urb. VIII.* cum tribus Minimis assumptis in hoc voto dispensaverunt. Et praesertim Urban. VIII. in examine Patris Francisci Castellani pro Episcopatu Capriensi, cum interrogavit: *An factus Episcopus teneretur ad votum vite quadragesimalis? & cum dixisset, non teneri, respondit Papa: Errasti, teneris enim: & parùm desuit, ut excluderetur; noluit tamen cum eo dispensare.* Idem est dicendum de ejectionis.

## RELIGIOSI PERPETUO EJECTI,

1870. **A**UT damnati ad triremes tenentur omninò ad castitatem, eorum verò vota paupertatis, & obedientiae non sunt extincta quoad substantiam, sed suspensa quoad executionem, & actum secundum, ratione status, cui eorum excurio non compatitur; unde non tenentur obedire Superiori regulari, nisi quoad regressum, si arceantur, ut redeant; minimè quoad alia, quia extra Religionem carent Superiore regulari, & per ejectionem suam confituntur extra ejus subjectionem.

1871. Ejecti, bonorum, quae obtinent, solum habent usum, & administrationem, non dominium, quod acquirunt, non Monasterio, cuius non sunt membra, sed Ecclesiae, in qua habent beneficium; vel Episcopo loci, si id non habeant, & non sint exempti. Si autem beneficium non habent, & sunt exempti, acquirunt Papam.

1872. Ejectos, & damnatos ad triremes non teneri ad praeccepta Regulae, docent cit. DD. quod etiam *Pelliz. & Bord.* extendunt ad recitationem Divini Officii, quatenus hoc est unum de observantiis, & praecceptis regularibus, & quatenus consuetudo recitandi est intra non extra Religionem. Sed eos ad Divinum Officium teneri, docent *Rodr. Bonac. Gav. Navar. Suarez, & alii.* Vide num. 427.

1873. Item dicunt, ejectionis non teneri ad alia vota praeter essentialia, excepto voto de non procurandis, aut acceptandis dignitatibus extra Religionem, quod semper durat, ex *Dec. Urban. VIII. die 21. Maii 1635.* Suarez autem, & Bonac. volunt, teneri etiam ad alia vota specialia.

1874. Ejectus per sententiam, si ante ingressum habebat votum simplex Religionis, post ejectionem non tenetur ingredientium Ordinem ex vi prioris voti; quia sicut extinctum per professionem sollemnem. *Port.*

## AERE ALIENO GRAVATUS,

1875. **Q**UI prius Religionem vivit, tenetur ingressum differre, si brevi tempore solvere possit; scus, si non possit, nisi intra longum tempus, & cum periculo damnationis. Potens solvere, si ingrediatur, & profiteatur, professio est illicita, quia contra iustitiam creditorum, sed valida; & tunc nec Monasterium tenetur solvere, nec ipse tenetur laborare, aut egredi ad solvendum. *Gobat cum aliis, tom. 1. tract. 11. de Voto, cas. 9. n. 299.* quia professio Religiosa extinguit omnem debitum civile. Insuper est aequivalens censio bonorum. *Vide à num. 1115. ad 1123.*

## QUAERES:

1876. Laicus quidam Ordinis Minorum fuit pro Novitio admittus ante annum 18. & professionem emisit anno sequenti contra Constitutiones Religionis, & Summorum Pontificum *Clem. VIII. & Innoc. X. praecipientes, ut nullus pro laico approbatur, qui 20. aetatis suae annum, non expleverit, & consequenter, quod non profiteatur nisi post 21.* Et quia id fuit scienter factum tam à Novitio, quam à Superiore ideo quaeritur: *An sua professio sit nulla, & inde liber à votis?*

1877. **N**Avar. & Castillus apud *Peyr. de Pral. quest. 3. cap. 1. §. 6. num. 160.* tenent talem professionem esse nullam, & ad nihil obligare. Quia quando datur alicui potestas ad aliquid faciendum, & simul praescribitur forma, forma non servata, actus est irritus.

1878. Resp. tamen, laicum, qui post 16. suae aetatis

aetatis annum explem, licet ante 21. professionem emisit, esse validè professum, & teneri ad vota, non obstante scientia defectus, & constitutionum. *Bordon. ref. 121. n. 14. Pelliz. tract. 3. cap. 1. n. 37. Rodr. Port. & alii cum Peyr.* quia aetate constitutiones solum prohibent, non irritant professionem antea factam; nulla enim est apposta clausula irritans, sicut apponit expressè *Trid.* contra professos ante 16. aetatis annum completum; ac proinde ejus professio tenet, juxta illud ex cap. *Ad Apostolicam de Regul. multa facta tenent, quae fieri prohibentur.* Tùm, quia Pontifices cit. expressè id prohibent, non in ordine ad validitatem professionis, sed in ordine ad habilitatem ad labores, ad quos pro Monasteriorum servitio laici fuit destinati.

Idem est etiam proportionabiliter pro aliis Religionibus dicendum; quoniam extat Declaratio Sacri Congr. Concilii 2. Nov. 1582. quàm refert *Peyr. de Relig. Pral. quest. 3. cap. 1. §. 6. n. 160.* Superior verò, qui scienter admittit, incurrit in penas contra male recipientes per cit. Pontifices fulminatas.

1879. Ad rationem in oppositum, respondeo, formam illam, quod requiritur annus 20. non esse substantialem, sed accidentalem; ac proinde ejus defectus non invalidat actum; in rebus namque moralibus forma illa dicitur substantialis, sine qua actus valere non potest, in cuius praescriptione ponitur decreum irritans expressè, v. gr. *irritum decernentes quicquid contra, &c.* vel saltem implicitè, v. gr. *aliter fieri non possit:* ut in num. 157. *Bord. ref. 138. num. 5.* forma verò illa dicitur accidentalis, quae caret allatis clausulis; & cum hoc secundum pateat in praemissis verbis constitutionum, sequitur, quod talis forma non sit substantialis, sed accidentalis; & propterea ejus defectus non invalidat actum.

1880. Hac ratione S. Congr. Conc. cit. pro quibusdam juvenibus ante annum 18. professis in Ordine Minimi. ubi praescribitur, quod recipiantur dummodo ad minus 18. annum attingant, fancivit, eorum professionem esse validam his verbis: *S. Congr. Conc. sensit professionem istorum esse validam, &c.*

## INTERPRETATIO VOTI

1881. **E**ST strictè facienda, ut minus obliget. Ex cap. *Ex partibus, de Fontibus.* Quia votum est onus, quod homo sibi contra libertatem imponit; unde habet vim legis positivae humanae. *Vide num. 1852.*

1882. Pro tollenda autem aequivocatione particulae *strictè, & benignè,* habeas, quod interpretatio voti fieri debeat stricta voto, benigna voventi; quia strictio est ad favorem voventis, & ut minus eum obliget; adeoque vota sunt intelligenda secundum proprietatem verborum, communem usum loquentium patriae, hominum acceptationem, & legum dispositiones.

1883. Qui vovit quotidie quid dare pauperi,

si hodie non dat, tenetur illud dare cras; quia haec fuit intentio rationabiliter interpretativa voventis.

1884. Qui vovit singulis mensibus communicare, non peccat, si per duos, aut tres dies differat; quia parum pro nihilo reputatur; & haec intentio praesumitur in emissionem voti.

1885. Si fuisti in mora, sive inculpabiliter, sive culpabiliter, & inde accidit difficultas notabiliter ex parte materiae pro executione; non teneris, aut saltem suspenditur votum; quia intentio voventis non praesumitur fuisset de te obligando in eventu talis difficultatis. *Gobat. tom. 1. de Voto, part. 2. tract. 11. casu 7. num. 246.*

1886. Qui Panormi existens vovit se bis visiturum B. Virginem Drepani, non satisfacit, si uno accessu Drepanum ibi bis visitet, sed tenetur ad duos accessus; quia ex communi acceptance pro duos visitationes intelliguntur duo itinera, seu duae peregrinationes. *Gobat. tom. 3. de Voto, casu 7. num. 243.*

1887. Panormi incola, qui simul, aut successivè vovit peregrinari Romam, & B. Virginem Laureti, satisfacit, si accedat Romam, & inde Lauretum; quia haec est intentio tacita voventis. *Gobat cit. num. 254. & seq.*

1888. Votum abstinentiae ab ovis non obligat ad abstinentiam lactinorum, nec è converso, nisi expressè comprehendas; quia ova, & lactinia distinguuntur. Voto audiendi Missam quotidie, satisfacit, si die Festo audias tantum unam, sicut ceteris diebus; quia tua intentio interpretatur, ut nulla dies transeat sine Missa. Votum de recitando Rosarium impletur per tertiam partem; quia haec nomine Rosarii solet accipi.

1889. Votum jejunandi in pane, & aqua obligat sub mortali ad abstinentiam vini, & aliorum ciborum, nisi excuset parvitas materiae. Ac si semel illud fregisti bibendo vinum, aut comedendo alium cibum, non teneris jejuare juxta formam Ecclesiae; quia jejunium in pane, & aqua promissum, quod per primam vini potationem, &c. est tibi factum impossibile. Nec impletur per panem coctum cum parva quantitate olei, nec per macherones coctos cum sola aqua; quia in 1. casu, licet materia olei sit parva, non est panis, & aqua: in 2. licet sit similis farina, in usu hominum non sunt panis; impletur tamen, si panem coctum cum sola aqua, sicut si panem asse.

1890. Qui emisit votum virginitatis, integritate carnis voluntarie perdidit, adhuc tenetur ad votum; quia virginitas ex *Scoto in 4. d. 1. quest. 6. litt. C. est virtus inclinans ad servandam puritatem mentis, & corporis.* Hinc virginitas non distinguitur à castitate perpetua quoad absolutum, nempe prout importat propositum continendi perpetuò, sed solum quoad connotatum, nempe prout connotat integritatem carnis, & carentiam actus praeteriti; adeoque, integritate carnis semel perdidit, virginitas, licet non possit obligare quoad connotatum, potest

obligare quoad absolutum. Scotus in 4. d. 31. *quæst. unic. lxx. c.*

1891. Juvenis studii applicatus emisit votum Religionis, ex aliquo autem defectu scientiæ non est admittis pro Clerico; vel post votum factus est irregularis, ut non possit ascendere ad Ordines: non teneatur ingredi Religionem in statu laicali; quia votum cessat, quando notabilis mutatio superveniat, quæ rem promissam in alio statu moraliter diverso constituat. Et onerosum esset obligare ex voto, ad assumendum statum laicalem in Religione eum, qui poterat esse Sacerdos. Eadem ratione ille, qui in adolescentia vovit Religionem, deinde factus senex, vel debilis; non obligatur ingredi Religionem; quia est notabilis facta mutatio.

#### QUÆRES I:

1892. Petrus dives post plures annos conjugii filios desperans, vovit dare majorem partem bonorum unicam Ecclesiam: at quia post votum filium suscepit, querit: An votum teneat?

**R** Esp. talè votum, superveniente filio, cessare. 1. Quia est notabilis facta mutatio. 2. Quia donatio etiam facta Ecclesiam, superveniente filio, ruit. Sæduetur: donatio facta alteri, quam loco pio, ex communi ruit, hæc ratione; quia nemo præsumitur rem suam alteri donare in casu supervenientis filii, nisi expresserit, se non revocaturum, etiam supervenientibus filiis; unde tales donationes semper imbutæ implicitam conditionem: si mihi non sit filius; quæ ratio æquè militat in casu nostro de donatione facta Ecclesiam, etiam si fit voto, aut juramento firmata. Non obstat ratio opinionis oppositæ, quia Ecclesia non succedit loco filiorum, sed in defectu filiorum.

Quod si, vivente patre, filius, qui supervenit, moriatur, reviviscit donatio; quia sicut in tali donatione dicitur involvi implicita conditio: si filius non sit; & idèd, superveniente filio, donatio expirat: ita in expiratione dici debet involvi aliam implicitam conditionem: si filius superveniens non moriatur, vivente patre: & idèd præmoriente filio, donatio debet reviviscere: & quidem talis est affectus donatoris, ut non velit Ecclesiam privare re promissa, nisi intuitu filiorum. Vide num. 1899. circa finem.

#### QUÆRES II:

1893. Quis emisit Votum peregrinandi Romam: accidit, ut occasione Jubilæi anno 1700. eò accesserit conductus stipendii à quadam nobili: An satisfecerit voto?

**R** Esp. satisfecisse. Gobat. tom. 3. de Voto, casu 7. num. 247. Castropal. tract. 25. disp. 2. punct. 12. n. 9. Qui adducit exemplum de Sacerdote, qui potest satisfacere Sacro ex voto per Sacrum, ad quod teneatur ex stipendio. Ratio est, quia talis rationabiliter præsumitur intentio votentis. Idem dicunt; si accesserit recreationis causa, sed animo satisfaciendi et in suo voto.

Quod si votum fuit de accedendo pedestri, & ea occasione famulatus accedit equester, non satisfacit, si intentio fuit de patiendo molestias itineris pedestris cum intuitu principali ad devotionem. Potest tamen petere commutationem, quoad modum eundem pedestri. Satisfecit vero, si modus accedendi pedestri fuit cum intuitu ad expensas minuendas; & si ad devotionem, non tanquam motivum principale; sed accessorium, ex intuitu minuendi expensas.

#### QUÆRES III:

1894. Quis post votum peregrinationis mutavit locum habitationis plus distantem; ita ut peregrinatio evaserit difficilior: An teneatur ad votum?

**R** Esp. teneri, si excessus difficultatis sit levis; puta si in peregrinatione decem dierum, excessus esset per unum, aut alterum diem.

Non teneri autem, si excessus sit notabilis, puta per alios tres, aut quatuor dies; quia est notabilis facta mutatio ex parte materiæ, quam si prævidisset, non vovisset. Sed tunc suspenditur votum, ita ut, si redeat ad priorem, aut propinquiorum habitationem, teneatur ad illud. Gobat cit. num. 245.

E converso, si incipiat habitare in loco voti, satisfacit, si è domo ad Ecclesiam visitandam pergat, & votum perficiat, Gobat cit. num. 246.

#### QUÆRES IV:

1895. Quis vovit visitare D. Rosaliam in monte, postea vovit visitare Sanctissimum Crucifixum in monte D. Rosalie: An utriusque voto satisfacere possit unico actu seu accessu?

**R** Esolutio est desumenda ex intentione votentis. Si igitur, quando secunda vice vovit, cogitavit ad laborem accessus, vel utrique voto diversos dies executionis assignavit; certum est, eum non satisfacere unico accessu; sicut è contra certum est, eum satisfacere, si quando secunda vice vovit, intendit unico accessu adimplere. At si non cogitavit distinctum laborem; tunc (quidquid dicat Diana part. 3. tract. 16. ref. 86.) si vota incidunt eodem die, et tunc utique satisfacit unico actu, puta unico accessu. Id potest accidere, si visitationem D. Rosalie vovisset pro die ejus Natalis quarta Septembris, Visitationem vero Crucifixi pro prima feria sexta Septembris, & eodem anno dies quarta Septembris esset prima feria sexta.

Si autem vota non coincidunt eodem die, tunc non satisfacit unico actu, videlicet unico accessu; quia vota distincta important obligationes distinctas, adeoque votum superveniens distinctum actum exposcit.

1896. Nec obstat dicere, quod unico actu auditionis Sacri satisfieri possit duplici præcepto; quia paritas nobis faver: unica namque auditione Sacri satisfaciunt duplici obligationi, & præcepto, si coincidunt eodem die, ut si die Dominico contingat festum Apostoli; minimè, si diverso die. Ita in re nostra, qui

qui vovit audire Sacrum quolibet die Sabbati, & tunc aliquo Sabbato contingat festum de præcepto, utriusque Sacro utrique obligationi satisfacit: At qui vovit audire Sacrum non deterninando tempus, non satisfacit unica auditione, præcepto, & voto, nisi quando vovit, id cogitaverit, seu intenderit.

In dubio de distincto labore, & obligatione, interpretandum est pro distincto labore, &c. quia regulariter sic vota distincta emittuntur.

#### QUÆRES V:

1897. Quis in periculo naufragii vovit Religionem, modo dicit, quod, si tunc Sacerdotum venisset in mentem, hoc non Religionem vovisset. Quid?

**R** Esp. Gobat tom. 3. de Voto, casu 9. num. 308. teneri ad votum, si plena consideratione Religionis vovit. Non teneri, si periculum fuit ita repentinum, & præsens, ut non reliquerit illi spatium cogitandi, nisi de Religione, & remisit; idque ex defectu plenæ deliberationis; quia ad valorem voti requiritur saltem tanta deliberatio, quanta ad peccandum mortaliter, ad quod requiritur tantum spatium, quantum sufficit ad discernendum inter duo, nempe inter bonum, & malum; ita ad votandum requiritur tantum spatium, quantum sufficit ad discernendum inter duo, v.g. inter Religionem, & castitatem, aut saltem inter Religionis carentiam. Si tamen consideravit Religionem, & ejus rigorem, ac asperitates, dicendum est validum votum; quia plene deliberavit.

#### QUÆRES VI:

1898. Quis vovit ingressum Religionis, si ejus frater Panormum veniret: Expectavit decem annis, & frater non venit. An possit nubere?

**R** Esponso pendet ex dictis à num. 1792. & infra de Votis reservatis conditionalibus à num. 2099. nam ly si, vel fuit vera conditio intenta, & ejus amore emisum votum; & tunc votum non est reservatum, sed conditionatum; & post tam longum tempus cadit, & qui vovit, potest nubere; quia non potest rationabiliter præsumi, quod intentio votentis fuerit expectare tam longum tempus, nisi expresserit, aut nisi circumstantiæ sint tales, ut id suadeant: Ludo rationabiliter præsumitur oppositum; nam præsumptio fit ex regulariter contingentibus.

1899. Si particula si valuit per quando, utique votum erit reservatum, sed ejus valor, & obligatio non incipit, nisi adveniente tempore præfixo, aut tempore rationabiliter conformi intentioni votentis.

Dixi: aut tempore conformi, &c. quia vel adventus fratris fuit intentus, ut causa impulsiva, seu per accidens, & tunc tenetur Religionem ingredi, aut prævenire, ne postea impediatur, aut reddatur inhabilis, considerata ætate votentis, juxta dicta in locis cit. quia tam longa expectatio non potest præsumi, nisi exprimat.

Vel adventus fratris fuit intentus ut causa, & mo-

tivum principale votentis, seu ita ut votum fuerit emisum dependenter ab illo: quod potuit esse, quatenus per præsentiam fratris intendebat se expedire à cura Matris, Sororis, Nepotis, &c. quod sine illo commodè obtinere non valeat. Et tunc pariter votum cadit eadem ratione, quia non potest præsumi, quod ejus intentio fuerit expectare per tam longum tempus, nisi expresserit, &c. Unde tunc conditio reputatur, ac si cecidisset. Votum autem conditionale (ut docet communis) cadente conditione, sub qua est emisum, cadit. Vide num. 1805.

Totius resolutionis ratio est; quia votum, ejusque valor, & obligatio omnino pendet ex intentione votentis. Vide num. 1892.

Consultus tamen erit, si petat dispensationem, saltem ad cautelam.

#### QUÆRES VII:

1900. Puella quam facili ad votandum, tan inconsultans, & facili ad vota violanda, penitentiæ retractata, Confessario suadente, proposuit nullum emitte re votum, inconsulto Confessario, vel si quod emitteret, ex inconsulto, irritum fore. Hoc non obstante, Votum Religionis emisit, & paulo post emisit voti juxta morem penitentiæ. Quid respondit Confessarius?

**R** Esp. Gobat tom. 3. de Voto, casu 2. num. 69. & tom. 2. tract. 3. cap. 38. in fine. Vel hæc puella, quando vovit, fuit immemor pacti cum confessario initi, vel memor? Si immemor: votum est nullum; quia mutatio voluntatis non debet præsumi, sed probari; unde cum hoc non possit probari; præsumitur, habitualiter permanere voluntatem, non obstringendi se voto sine approbatione.

Si memor, & plene consensit; validum est votum; quia jam mutatio probatur.

1901. Si pactum fuisset, sua vota non subsistere, nisi à Confessario ratificata; utique non obligaret votum ante ejus ratificationem. At, ea secuta, votum esset reservatum, quia talis conditio æquivaleret conditioni à natura, vel à jure apposita juxta num. 1701. At inconstantia daret causam ad dispensationem faciliorem obtinendam.

Dixi: & plene consensit: Prudens enim Confessarius advertere debet, an in tali voto fuerit in puella plenus voluntatis consensus, an verò sola intellectus consideratio, & firma adhesio in illud, quæ puellæ ex errore, aut scrupulo appareat voluntatis consensus; in hoc namque casu, non erit votum; quia non liberum, & voluntarium; nam talis consideratio, & firma adhesio intellectus est actus naturalis potentie naturalis. Ad quod discernendum faciunt dicta pag. 18. & 19. & infra de peccato mortali.

#### DUBIUM IN VOTIS:

1902. Si rationabiliter dubites, an voveris, vel juraveris, an fuerit vera promissio, vel simplex propositum, ad nihil teneris, quia possidet libertatem. Si sis certus de voto, & dubites, an imple-

veris, teneris implere; quia possidet votum, utpote prius. *Vide à num. 40.*

1903. Si sis certus de voto, sed dubites, an habueris usum rationis, & perfectam deliberationem; si vovisti ante septennium, non obligaris; quia possessio stat pro libertate; & in illa ætate non præsumitur sufficiens deliberatio. Si post septennium; obligaris, quia possessio stat pro voto; nam tunc præsumitur usus rationis nisi constet oppositum.

1904. Si dubitas de materia, teneris ad alteram partem; potes tamen eligere, quod minus est: unde si vovisti, te non habiturum copulam cum muliere, & dubites, an intellexeris de copula licita, potes nubere. Si vovisti jejunium, & dubites de abstinentia à lacticiis, teneris jejunare, sed non abstinere à lacticiis. Demum, si dubites, an votum habuerit aliquam imperfectionem, quia non sit reservatum, & proinde dubites, an sit reservatum, te posse tenere, quod habuerit imperfectionem, & quod non sit reservatum, ait Tamb.

1905. Aliquando tamen non potes eligere minus, quando ex communiter contingentibus, ex usu loquendi, aut aliis adiunctis colligitur, te promississe majus. Unde, si vovisti calicem, dubites, argenteum, vel stanneum; debes argenteum, saltim quoad cuppam; quia hic venit nomine calicis.

#### OBELIGATIO VOTI CESSAT,

1906. **V**EL ex natura rei, vel ex autoritate humana.

#### EX NATURA REI CESSAT:

**P**Rimo, si materia evadat turpis indifferens, aut impeditiva majoris boni. Secundo, si evadat impossibilis, etiamsi id fuerit ex tua culpa.

1907. Tertio, per mortem voventis, non minus, quam obligatio matrimonii; eo maxime, quia vovens usque ad mortem obligare se intendit. Hinc, si Religiosus professus resurgeret, licet nubere posset, nisi esset Sacris initiatus; quia character ordinis est indelebilis ab anima, unde ille resurgeret verus Sacerdos, si Sacerdos fuisset. *Mendo num. 61.*

1908. Quarto, si cesset finis. Unde, si vovisti dare elemosynam Catharina pauperi, & hæc evadat dives; vel ad reparandam Ecclesiam, & hæc propter infideles reparari non permittatur, vel periculum superveniat, ut Urbs ab iis capiatur; ad nihil teneris.

1909. Item adolescens nobilis secundogenitus emisit votum Religionis, ne ob exiguum patrimonium committeret aliquid suæ conditioni indecorum; iste, mortuo fratre majori, factus est primogenitus: non tenetur ad votum, si vivere sine dedecore ob exiguum patrimonium non fuit causa impulsiva, nec finis accessorius, sed principalis, licet partialis: quia tunc per acquisitionem Majoratus cessat causa finalis principalis partialis, & cessante sine principali partiali, cessat votum. *Ant. à Spir. S. tom. 3. tract. 5. disp. 2. sect. 38. cum Sanchez.* Non cessat

autem ex cessatione causa impulsiva. *Vide num. 1805, 1910.* In dubio, an causa fuerit motiva, & finalis, vel impulsiva; standum est pro voto; quia possidet. *Mendo in Epit. verb. Votum, num. 4. contra plures apud Gobat tom. 1. part. 2. tract. 11. casu 12. de Voto, num. 393.*

#### NOTABILI MUTATIONE SUPERVENIENTE,

1911. **Q**UÆ mutatio non debet se tenere ex parte Voti, sed præcisè ex parte materiae voti; non enim debet consistere in hoc, quod superveniat aliqua causa, quæ si extallet tempore voti, votum non fuisset emisum; sed in hoc, quod fit circa materiam, taliter, ut materiam proximam in re, aut in hominum existimatione diversam constituat; & tunc habetur, quando res iudicio prudenti, est constituta in statu moraliter diverso, aut notabilis est difficultas ex parte rei promissæ. *Ant. à Spir. S. cit. qui inde infert cum Navarra. Tancr. Anton. & aliis.*

1912. Si quis post votum Religionis sacrilegè contrahat matrimonium, si post multos annos Matrimonium ejus uxori moriatur, non teneri ingredi Religionem ex vi voti, etiamsi in vovente sine vire sufficiens ad omni Religionis sustinendum; facta est enim magna rerum mutatio: difficillimum enim esset huic homini filios, & familiam deserere, & aliorum regimini se tradere. *Secus dicendum est, si post sex menses matrimonii ejus uxor moriatur.*

1913. Illud est verum, obligationem voti aliquando suspendi ad tempus, quando causa cessationis non est perpetua, sed temporanea.

#### QUÆRES:

1914. Mulier post votum Religionis matrimonium contraxit, post plures annos, marito mortuo, relicta est divites sine filiis: An teneatur Monasterium ingredi?

**R**esp. teneri, si non evaleret infirma, nimis debilis, aut annum quinquagesimum excefferit. Non teneri, si fecus. *Gobat tom. 2. tract. 3. cap. 38. num. 294.*

Ratio primi; quia nuptiæ sacrilegè celebratæ non sustulerunt vinculum voti; nemo enim de sua materia commodum reportare debet. *Cap. intelligimus, de Transact.*

Ratio secundi; quia tunc est notabilis facta mutatio ex parte materiae.

#### AUTHORITATE HUMANA CESSAT

##### Votum

1915. **T**Ripliciter: Commutatione, Dispensatione, aut Irritatione.

#### COMMUTATIO

1916. **E**ST translatio voti in aliud ob æquale, aut parum minus sub eadem obligatione: fieri potest extra Confessionem. In melius fieri potest autoritate propria. In æquale fieri debet au-

thoritate

thoritate Ecclesiastica. In notabiliter minus, fieri non potest, nisi commutans velit, & possit admiscere dispensationem. At in manifestè æquale posse fieri autoritate propria probabile putat *Gobat tom. 1. p. 2. tract. 11. casu 11. de Voto, num. 358. cum multis.*

1917. Qui potest dispensare, potest commutare, non è converso, quia commutatio est pars dispensationis.

1918. Vota omnia, exceptis quinque reservatis, commutare possunt Episcopi: ex privilegio Regularis, & Confessarii per Bullam, aut Jubilæum. Alii Confessarii possunt peccata contra vota absolvere, nisi sint casus reservati; non possunt tamen commutare. *Vide num. 1723. & 1962.*

1919. Vota Novitiorum, etiam in sæculo emissa, & composibilia cum Novitiatu commutari possunt, & dispensari à Prælati. Imò commutari posse in labores, & asperitates Novitiatu etiam ex sola voluntate Novitii; quia in melius, ait *Pellæus*. Ea tamen non extinguuntur, sed suspenduntur, ita ut, si Novitius è Religione egrediatur, reviviscant. Idem die de professo, si professionem annullat. *Vide num. 1987.*

1920. Per professionem Religiosam ipso jure extinguuntur omnia alia vota realia, aut personalia ante professionem, sive in Novitiatu, & de Superioris licentia, sive in sæculo emissa, etiam reservata. *Ex cap. Scriptura, de Voto 4.* Quod est extingui potius per viam plenissimæ solutionis, quam commutationis. *Pirhing. in Comp. lib. 3. tit. 34. s. 5.*

1921. Non extinguuntur tamen vota realia à tertio acceptata, quia transferre in contractum. *Vide num. 1924.*

1922. Si facta commutatione, velis implere primum votum, potes, quia est facta in tui favorem, & includit implicitam conditionem: *Si tibi placuerit*. Insuper postquam à materia subrogata ad commutatam redisti, potes iterum ad subrogatam redire. *Castrop. de Voto, dist. 2. p. 18. num. 11.* quia per reditum ad commutatam non renunciasti potestatem utendi subrogata; tunc renunciasse, quando per novum votum ad commutatam rediisses. *Ant. à Spir. S. de Voto, sect. 42. num. 106.* Si materia, in quam primum votum fuit commutatum, evadat impossibilis, inepeta, indifferens, aut impeditiva majoris boni, non teneris redire ad prius votum, si commutatio sit facta autoritate Ecclesiastica; quia hæc subrogata aliam materiam, & simul extinguit obligationem priorem. Teneris redire ad prius, si sit facta autoritate propria; quia hæc non transfertur obligatio in materiam subrogatam, sed solum fit solutio Deo per æquivalens.

1923. Votum non petendi commutationem, aut dispensationem, nisi à Summo Pontifice potest commutari, aut dispensari. Votum juratum commutari potest, sive juramentum sit sequens, sive concomitans votum, nempe, si dicas: *Juro me jejunare, si curi voti, sive: Voveo, & juro me jejunare;* quia juramentum nihil aliud facit, nisi confirmare promissionem Deo factam. *Castrop.*

1924. Vota, & juramenta in favorem tertie personæ edita commutari possunt, si non sint acceptata; minime, si sint acceptata, quia acceptatio facit ea transferre in contractum, & acquirit jus tertio, ac proinde commutatio cedit in præjudicium tertii.

1925. Ita communis contra de Lugo in *disp. 39. de Just. num. 13.* Qui tener, post commutatum; quia principaliter tendunt in Deum tanquam finem, cujus gratia fiunt; pauper verò est finis cui, ac proinde accessorius, & minus principalis. Unde si votum, ut respicit Deum, potest commutari, aut dispensari, ita ut respicit tertium; quia hoc est accessorium, & sequitur naturam principalis.

1926. Hinc votum, aut juramentum dandi centum aureos determinatæ Ecclesiæ ab ejus Parocho acceptatum posse commutari, aut dispensari, eo invito, & à fortiori posse ad aliam Ecclesiam commutari, ex majori propensione voventis, cum talis commutatio localis sit in æquivalens. At non est recedendum à sententia negativa communi.

#### DE CASU COMMUTATIONIS.

1927. **A**D licitam commutationem in melius, non requiritur causa. Si non in melius, requiritur causa; sed licet minor, quam ad dispensandum; quia dispensatio obligationem extinguit, commutatio verò eam de una in aliam materiam transfert, & solum aliquantulum minuit.

1928. Causa potest esse: Repugnantia parentis, aut viri, etiam in illis, quæ iis non præjudicant; Levitas voventis: Inconstantia: Fragilitas cum periculo violandi: Indiferetio, &c. Et fat est, quod sit talis, quantum sufficit, ne vovens dicatur imprudenter mutasse propositum. Et generaliter causa, quæ sufficit ad dispensandum, à fortiori sufficit ad commutandum, etiam cum commutationi dispensatio admiscetur. Imò ex pluribus, ad commutandum in æquale sufficit major inclinatio voventis. *Vide num. 1958.*

1929. Commutatio facta sine causa est supplenda quoad excessum, si sit facta in minus.

1930. Quando fit per Bullam, aut Jubilæum, non requiritur causa, sed sufficit ipsum privilegium. Imò in Bulla accedit subsidium temporale.

#### DE PRAXI COMMUTATIONIS

1931. **N**ON potest certa Regula tradì, sed id est prudentiæ committendum. Et quidem. 1. Non est necesse, ut votum personale commutetur in actionem personalem, & reale in reale. 2. Nec, ut fiat in favorem ejus Sancti, aut Ecclesiæ, in cuius gratiam est factum, licet sit conveniens. 3. Nec ut materia subroganda sit perpetua, sicut est votum. 4. Nec excellentia virtutis materiae subrogandæ est consideranda in se, sed in ordine ad voventem.

1932. Hinc, si vovisti disciplinam in sanguine ad motus carnis compescendos, melius est, si commutatio fiat in jejunia, quam in orationes; quia licet

quet